

avebant, præcipue Eleusius, Eustathius, Basilius Ancyranus et alii; tum etiam vitæ suæ instituto, gravitate et modestia: « Nam vitam, inquit Sozomenus lib. iv, cap. xxvi, cui populus maxime solet animum attendere, non male instituebant; » tum denique aliquibus portentis, et signis mendacibus, et præstigiis, præsertim Cyzici, ubi Eleusius episcopus erat, atque ita ibidem propagavit, fundavitque Macedoniorum sectam, ut propterea urbs illa dicta sit civitas Macedonianorum. Aliquas eorum præstigias et signa hujusmodi refert Anastasius Nicænus quæst. xxiii, tomo vi bibliothecæ. Denique, adeo hæresis illa invaluit, et multorum accessione potentior facta est, ut generalis Concilii falce præscindi oportuerit, quod ex cl. patribus Constantinopoli collectum fuit, cui et S. Gregorius Nazianzenus interfuit, et a Damaso papa confirmatum est, ibi Macedonianorum hæresis damnata est, sed et Apollinaris, Arianorum et Semiarianorum, aliorumque male de Trinitate sentientium errores extirpati sunt, qui et antea in Concilio Romano sub eodem Damaso anno ejus septimo, id est, Christi 373, condemnati fuerant, in cujus anathematismis exacte tradita, et explicata est fides de S. Trinitatis mysterio, et Personarum divinitate, præsertim contra Apollinarem, et alios hæreticos.

QUID MAHUMETES, ABAILARDUS ET ALII DE TRINITATIS MYSTERIO SENSERINT?

XVII. Circa annum Christi 630, temporibus Heraclii imperatoris, vel paulo ante apparuit monstrum hoc Mahumetes scelestissimus nebulo, non tam notitia aliqua Scripturarum aut subtilitate discursus, quam crassissima sensus hebetudine, fere

omnium antecedentium hæresum farraginem, et errorem sentinam coacervans; quidquid grossum, et fæculentum in illis erat, spurcissimus impostor conflavit, et ex his sectam ignobilissimam, non rationum pondere, sed ignorantiae nebulis obcæcatam, et pernicacia obseratam, mundo invexit. Inter alia ex Sabelio et Ario in Sanctæ Trinitatis mysterium blasphemiam evomit. Nec enim potuit impurissimus, et cæno carnis obvolutus canis stolidissimus tam subtilem, immaterialem, et claram deitatis lucem crassa mente percipere. Dixit inter alia ut refert S. Damascenus libro de hæresibus circa finem, unum esse Deum universi auctorem, qui neque genitus sit, neque generaverit. Unde constantissime negat et deridet Christum esse Deum, Filium Dei, licet Verbum esse fateretur, in hoc imitatus Arii vafritiem qui, ut supra vidimus, etiam Verbum esse fatebatur in Deo, sed non Filium. Ideo tamen lutosus porcus negavit Deum habere Filium, quia non habet, inquit, uxorem, ut de ipso refert fr. Ricoldus Florentinus in libello contra legem Sarracenorum, et in hoc convenit Mahumetes cum Cæpocrate hæretico, quasi in nobis conceptus et verbum non pariat ab intellectu sine uxore; Deo autem solum intellectualis partus tribui potest. Sed iste intellectum non habuit, ut id adverteret. Dixit tamen Christum esse Verbum Dei et ejus Spiritum, sed creatum atque servum, eumque fatetur ex Maria sine semine generatum, ait enim quod cum Verbum, et Spiritus Dei in Mariam introissent, genuit Filium qui Dei propheta, et servus est. Et cum Judæi voluissent eum in crucem agere, pro ipso umbram ejus tenuisse et egisse in crucem, ipsum vero non fuisse mortuum, sed in cælum a Deo translatum, et sic omnem ex Christi pas-

sione redemptionem, et sacramentorum efficaciam negat. Ita refert loco citato S. Damascenus. Negavit etiam cum Macedonio Spiritum sanctum esse Deum, sed dixit creaturam esse. Ac per hoc totum sanctissimæ Trinitatis mysterium penitus abnegavit.

XVIII. Cum istius sectæ hominibus vix disputationi locus datur, quia ipsi imperitissimi sunt, et rationum pondere non ducuntur. Sed ut ibi admonet Damascenus querendum est ab ipsis, unde, et quo testimonio, vel quibus miraculis, aut auctoritate habeant illum Mahumetem fuisse verum prophetam, et a Deo missum specialiter, sicut constitit mundo de Moyse, et aliis prophetis, et de ipso Jesu, quem valde Mahumetes honorat, licet non ut Deum. Ipsi autem dicunt Mahumetem hæc accepisse a Deo, nullis aliis testibus, sed cum quieti se daret, et dormiret. Dormisse quidem ipsum et somniasse, cum tam vana, et monstruosa effutiret et sterteret, bene credo, sed cum ipse in commentariis, et scriptis suis vetuerit ne aliquid facerent aut scriberent sine arbitris, ut ibi dicit Damascenus, cur ab eo non petunt testimonium prophetiæ suæ, aut miracula, sed ita irrationabiliter velut pecudes credunt homini dicenti se a Deo missum. Cæterum, quia ipse in Alcorano suo testimonium perhibet de evangelio, ex ipso, et ex aliis Scripturis ipse cum suis revincendus est, quia non est ratio cur in aliquo admittant evangelium, in alio negent, videlicet ubi tractat de Filio Dei, et quod Christus sit Deus, et quod sit passus, et mortuus, etc. Quod si evangelium non admitterent, tractandi essent sicut ethnici, et per miracula, aliasque rationes extrinsecas convincendi. Magis autem procurandum est, ostendere eis falsitatem et absurditatem sectæ suæ

in nullo conformem rationi, neque evangelio, aut Scripturis, quam in nostræ religionis probatione laborandum, qui probatione non admittunt, ut etiam admonet Ricoldus ubi supra.

XIX. Sed post istum ignorantissimum impostorem surrexit temporibus D. Bernardi Petrus Abailardus, qui inter alios errores suos etiam male de Trinitatis mysterio sensit. Cujus sententiam sic explicat Bernardus epist. cxc ad Innocentium papam II, ibique late eam refutat: « Ponit in Trinitate gradus, in majestate modos, numeros in æternitate. Constituit denique Patrem plenam esse potentiam, Filium quamdam potentiam, Spiritum sanctum nullam potentiam. Atque hoc esse Filium ad Patrem, quod quamdam potentiam ad potentiam, quod speciem ad genus, quod materiatum ad materiam, quod hominem ad animal, quod æreum sigillum ad æs. Nonne plusquam Arius hic? Quis hæc ferat? Quis non claudat aures ad voces sacrilegas? Quis non horreat profanas novitates, et vocum et sensuum? Dicit etiam Spiritum sanctum procedere quidem ex Patre et Filio, sed minime ex Patris, Filiique substantia. Unde ergo? An forte ex nihilo, sicut et universa, quæ facta sunt? » Secutus est Abailardus discipulus ejus Arnoldus de Brixia, qui ut idem Bernardus refert epist. cxcv: « Omnes ejus errores ab Ecclesia jam deprehensos atque damnatos, cum illo et præ illo defendere acriter et pertinaciter conabatur. » Cæterum licet Abailardus cum Ario saperet in sensu, longe tamen illi dissimilis causa fuit. Non enim ille Verbum Dei dicebat creaturam, sicut Arius, aut Spiritum sanctum ministrum sicut Mucedonius, sed homo novitatum avidus, attributa divina inter Personas partitus est, non adaptatione seu appropriatione



tantum, ut communiter theologi, sed partitione et consignatione, ut ipse singulariter opinaretur. Et sic, ut epistola citata cxc dicit Bernardus, dixit Patri competere omnipotentiam, Filio sapientiam, Spiritui sancto benignitatem. Et quia sapientia aliquid potentiae dicit, quia dirigit, formatque potentiam ad id quod exequendum est, dixit Filium esse quamdam potentiam, sed non plenam. At vero Spiritum sanctum nullam potentiam esse dicebat, sed solum amorem, seu benignitatem, quia nec est illa potentia directiva, sicut sapientia, quæ est Filius, nec illa executiva, quæ est Pater. Quod tamen, ut bene Bernardus redarguit in eadem epistola cxc, contra Scripturam apertissime dicitur, cum Isai. XI, dicatur: *Spiritus sapientiae et fortitudinis*, fortitudo autem potentia est. Est etiam Spiritus creator non creatus: ergo habet potentiam creandi.

XX. Per idem tempus invaluit (licet longe ante cœperit) Græcorum error de processione Spiritus sancti, qui quidem non negabant Spiritus sancti divinitatem sed processionem ex Filio, et solum a Patre dicebant procedere, contra quos in pluribus Conciliis actum est, et demum latissime in Concilio Florentino. Sed de hoc errore, ejusque auctoribus, et intelligentia specialiter a nobis agendum est infra circa quæstionem xxxvi, tractando de processione Spiritus sancti. Eo id differimus. Possumus et ad Græcorum errores referre insaniam Athanasii imperatoris, qui, ut aliqui referunt, non Trinitatem sed quaternitatem, aut etiam majorem numerum in Deo posuit. Sed hoc vix est qui sequatur. Fuit et quædam Peratarum hæresis apud Theodoretum libro primo hæreticarum fabularum, qui tres Personas dicebant tres Deos. Et idem Joanni Philopono attribuunt Suidas

verbo Joannes grammaticus, et Nicephorus lib. xviii historiæ cap. xlvi. Fuit autem Philoponus temporibus Phocæ imperatoris, denique abbas Joachimus circa annum Domini 1190, asseruit tres Personas non esse unam essentiam numero, sed solum per collectionem, sicut fideles sunt una Ecclesia, ut in Concilio Lateranensi canone secundo damnatum est. Et Raimundus Lullus dixit tres Personas esse tres essentias, ut tomo præcedenti, disp. xi, art. iii, ex Heimerico et Bernardo Lucemburgo ostendimus.

QUID NOVI HÆRETICI ET TRANSYLVANI DE TRINITATIS MYSTERIO SENSERINT.

XXI. Nihil fere in tota antiquarum hæresum colluvie dispersum est, quod non in nostri temporis novatores, quasi in sentinam confluerit. Unde etiam Sabellianæ, Arianæque perversitatis dogmata tanto jam temporis decursu consumpta, nunc velut putrida ossa ab impietatis tumulo exhumata iterum lucem infece- runt, et inter hæreticorum nostrorum zizania infelices avenæ repullularunt. Fuerunt enim hoc tempore duo ex præcipuis hæresiarchis, quorum unus Sabellii, alter Arii damnatas olim hæreses suscitavit. Primus fuit Michael Servetus, ejusque sequaces ministri Transylvani, qui Sabellio inhærentes, negarunt in Deo tres Personas distinctas, alter fuit Valentinus gentilis, qui declinavit ad Arianismum, dixitque Filium, et Spiritum sanctum esse Dei essentiam inferiores, et solum Patrem esse unum et solum Deum.

Itaque Servetus de Christo tria docuit in libris quos inscripsit de erroribus Trinitatis.

Primo, dixit non esse in Deo per-

sonalem distinctionem imitatus Sabellium.

Secundo, dixit Christum appellari Dei Filium quod ex ipsa Dei substantia caro ejus in utero Virginis sit concepta, ipsamque divinitatem esse communicatam Christo per unctionem et inhabitationem gratiæ, secutus in hoc Nestorium, sicque docet Christum esse Deum factum, non æternum, sed temporalem.

Tertio, ex hoc collegit Christum ante incarnationem nihil fuisse nisi ideam in mente divina. Secuti eum sunt ministri quidam, qui in Transylvania sedem posuerunt, ut Franciscus David, Georgius Blandratta, et alii. Qui tamen inter se dissident, non de negatione mysterii Trinitatis, sed de invocatione Christi, an sit facienda, et quomodo, quia si non est verus et summus Deus, non est invocandus. Extinctus est impudentissimus hæreticus Servetus Genevæ, a Calvino damnatus et vivus exustus.

At vero Valentinus gentilis nolens cum catholicis in fide de Trinitate convenire, nec tamen Serveti doctrinæ se subicere, aliud extremum secutus est, et docuit etiam tria.

Primo, in Deo non solum esse Personarum distinctionem, sed etiam tres Personas esse tres Spiritus æternos. Et sic dividebat naturas. Sed cum hoc ipsi Scripturæ palam videret adversari. Secundo, dixit Patrem longe esse cæteris eminentiorem, illumque solum esse verum, et summum Deum seu essentialiorem, alias Personas essentialitas. Sic minorem Patre Filium constituit Arii discipulus. Tertio, dixit Filium non esse factum ex nihilo, sed ex patris substantia, et ab æterno. Quod etiam mitigati Ariani, seu Semiariani admiserunt, ut supra vidimus. Traditus est impius ultimo supplicio Bernæ, undecimo post

THEOLOGIA IV.

Serveti mortem anno, qui primum se martyrem fore jactabat, non pro Christi gloria, ut cæteri martyres, sed pro Patris eminentia. Sed mortis nuntio audito, ita consternatus est, ut evadendi supplicii omnes aditus quæsierit, etiam suæ recantatione doctrinæ. Nec tamen obtinuit.

Pluribus contra hos novos Tritheistas doctissime agit cardinalis Bellarminus controversia ii generali, lib. i de Christo ex quo ista hausimus. Sed et in præfatione ostendit hæreticos qui Valentino et Serveto e diametro adversantur, scriptisque exagitant pro defensione mysterii Trinitatis, ut Calvinus, Beza, Melanchthon, Simlerus, Aretius, Stancarus, Petrus Melius, Hyperius, et alii plures, non modicas blasphemias in ipsas Personas, et divinitatis naturam mysteriumque Trinitatis eructare et effutire; et Trinitatis nomen in Deo fastidisse Calvinum ex ejus scriptis palam a multis refertur.

ARTICULUS II.

*Vera de Trinitatis mysterio fides stabilitur.*

I. Quæ huc usque retulimus, satis ostendunt, quam varie diabolus æmulatus sit divinissimæ Trinitatis gloriam, quam subdole, quam fallaciter, quam impense in illam paternæ substantiæ imaginem, in illum gloriæ splendorem, et Unigeniti Filii majestatem insurrexerit coluber tortuosus, tentans, si quo modo per hominum mentes, quasi per quædam totius falsitatis organa possit illius summæ veritatis lucem obumbrare, et quasi caligine quadam involvere, ut sicut de illo dicitur Job. xli. *Sub ipso sint radii solis, et sternat sibi aurum quasi lutum.* Quod enim per semetipsum in cælo